



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

VII. Mehrere Bischöfe gewähren den Wohltätern der Marienkirche zu  
Frankfurt einen Ablass, im Jahre 1300.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

VI. Der Rath vergleicht das Schlächtergewerk in Betreff der Schlächtere mit den Jüdischen Einwohnern, am 30. April 1294.

Nos Consules ciuitatis Frankenuordenis recognoscimus vniuersis presentem litteram inspecturis, quod quedam dissensio super opus carnificum inter carnifices ex una parte et inter Iudeos ex alia parte iam aliquo tempore fuit ventilata, que ad vnionem concordie in hunc modum est redacta, quod X videlicet Iudei qui habentur in hiis scriptis, scilicet Mosco, Iacobus suus sororius, Iacobus apud Johannem de hoghenwalde, Zamson, Glomeke, Dauit, Iacobus apud hughonem, Josef, Samel, Habram, opus carnificum debent sub hac etiam forma exercere, quod vnusquisque duo capita die dominica mactare debet, Tercia feria vnum, et similiter duo capita feria quinta. Si uero aliquis Iudeorum hanc ordinationem infringere presumpserit, sentencie quam Consules dictauerint debet subiacere. Testes huius rei sunt hii, videlicet Lipholdus, Henricus zulencio, Henneke gallicus, petrus capman, Thidericus marwiz, Paulus, Conradus prezel, Thi. Burz, Thi. Faber, Tho. peneticus, Holtseher, Joh. de Albea. In cuius rei testimonium eisdem dedimus presentem litteram nostre ciuitatis sigillo roboratam. Datum in frankenuord, in vigilia beatorum apostolorum Phy, et iacobi. Anno Domini M<sup>o</sup>. CC. Non. III.

Nach dem Orig. des Stabtarchives VIII, 2, 27.

VII. Mehrere Bischöfe gewähren den Wohlthättern der Marienkirche zu Frankfurt einen Ablass, im Jahre 1300.

Uniuersis sancte matris ecclesie filiis, ad quos presentes littere peruenerint, Nos miseratione diuina Basilius Jerhonitanus Archiepiscopus, Iacobus Calcedonie, Anthonius Chenadiensis et Nicholai Tortibulensis Episcopi, salutem in domino sempiternam. Pia mater ecclesia de animarum salute sollicita, deuotione fidelium, per quedam spiritualia munera, remissiones videlicet et indulgentias, inuitare consuevit ad debiti famulatus honorem deo et sacris edibus impendendum, ut quanto crebrius et deuotius illuc confluit populus christianus mutuis saluatoris gratiam precibus implorando, tanto delictorum veniam et gaudia consequi mereatur eterna. Cupientes igitur, ut ecclesia beate Marie virginis in Vrankenuordis, Lubulensis dyocesis, congruis honoribus frequentetur et a Cristi fidelibus iugiter ueneretur: Omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad dictam ecclesiam in omnibus festis gloriose virginis Marie, et in festiuitatibus subscriptis videlicet natiuitatis domini, resurrectionis, ascensionis et pentecostes, in festis sanctorum Iohannis Baptiste et Iohannis euangeliste, beatorum Petri et Pauli apostolorum, Sanctorum Laurentii, Stephani martyrum, Nicholai et Martini confessorum, Margarete et Katerine virginum, causa deuotionis orationis seu peregrinationis accesserint; vel qui ad fabricam, luminaria, uestimenta, ornamenta seu ad aliqua alia ipsius ecclesie necessaria manus porrexerint adiutrices, vel quicquam facultatum suarum donauerint, miserint, legauerint, vel aliquo modo predictae ecclesie procurauerint; Necnon



qui sacerdotem ejusdem ecclesie, cum corpore Christi infirmos visitantem, affociaverint, Nos de omnipotentis dei misericordia dulcisque matris sue Marie gratia, Necnon beatorum Petri et Pauli apostolorum eius meritis et auctoritate confisi: Quilibet nostrum quadraginta dies de injunctis suis penitentiis, Dummodo uoluntas dyocesani ad id accesserit et consensus, misericorditer in domino relaxamus. In cujus rei testimonium presenti scripto sigilla nostra duximus apponenda. Datum Rome, anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup>, pontificatus domini pape Bonifacii pape octavi anno sexto.

Nach dem Original der Marienkirche. — Spieler, Gesch. der Marienkirche S. 441.

VIII. Bestätigung der Stiftungsurkunde von Frankfurt durch den Markgrafen Hermann, vom 2. August 1306.

— Nos quoque Hermannus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio et Dominus de Hinneberg, recognoscimus publice omnibus et singulis, quorum audientie presentia deferentur, quod universaliter singulos et singulariter universos Articulos in presenti Instrumento (No. I.) contentos et supra scriptos, a progenitoribus nostris charissimis editos, traditos seu indultos, habito nihilominus super hoc maturo nostrorum discretorum consilio, ad instantiam prudentum universonum Civium de Vranckenvorde, per presentes duximus innovandos, innovatosque in testimonium evidens et robur perpetuum confirmandos. In cujus rei testimonium et evidentiam pleniorum presentibus litteris nostrum Sigillum jussimus appendendum de nostra certa scientia et consensu. Testes hujus rei sunt strenui viri Bernardus de Plotzicke, Gerardus de Wederden, Ludowicus de Wantzleue, nostri milites, Conradus plebanus de Vranckenvorde et Slotekinus, nostre Curie Notarius, et alii quam plures fide digni. Actum et datum Arneborch, anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>, III Non. Augusti, in vigilia inventionis sancti Stephani prothomartyris.

Nach einer Copie der Joachimsthal'schen Schulbibliothek und des neuern Copialbuches des Frankfurter Stadtarchives I, 1. An beiden Orten ist die Jahreszahl jedoch 1307 geschrieben, während nach Wohlbrück, Lebus I, 393 und Bedmann's Abdruck in der Beschreibung von Frankfurt S. 28 1306 gelesen werden muß. Das Original der Bestätigung ist jetzt nicht mehr zu ermitteln gewesen.

IX. Die Markgrafen Otto und Waldemar verkaufen der Stadt Frankfurt das Dorf Trettin, am 2. Juli 1308.

In nomine domini amen. Vt Res geste habeantur in memoria Sempiterna, Ipsarum descriptio Summe est necessaria, ne posteri obliuione moti denegare queant maturo priorum consilio stabilita. Hinc est, quod Nos Otto et waldemarus, dei gratia Brandeburgenses, landesber-